



## **Crisis Theologica**

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,  
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi  
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

**Casnedi, Carlo Antonio**

**Ulyssipone, 1711**

§. VIII. Mens P. Thyrsi, & P. Munießæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84783](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84783)

nos, ut certò probabilis à non certo probabili discernatur. Contra 3. quia si contra nos dicit, esse plerumque impossibile certo scire, an opinio, quam quis sequitur, sit verè probabilis, longè impossibilis erit scire, quæ sit probabilior. Quod si dixerit non esse necessarium scire, quæ sit probabilior, & adhuc licitum sequi probabiliorum: ecce si hoc dicat, permittet, ut quilibet sequatur cæco impetu probabiliorum, non sciens certò an sit probabilior. Frustra igitur conquiretur de nobis, quod permittamus licitum sequi minus probabile minus tutam, ita tamen ut præobtemus ad iudicium moraliter certum de probabilitate opinionis. Ubi nam ergo in nobis laxitas, quæ non sit longè maior in ejus doctrina? Quare quò plus nostram sententiam considero, eo pius in eam eo; & video longè strictiora nos, quam plerumque Anti-Probabilitas docere.

N. 136. Obervo 10. quomodo doceat, quòd Confessarius sequi possit opinionem poenitentis, judicatam à Confessario falsam, & à poenitente veram, & hunc licitè ab eo Confessario absolvi, ut docet *qu. 36. a. n. 18.* non possit autem, ut ait *qu. 35. n. 25.* Magister consultus remittere contentum ad Doctores putantes opinionem esse veram, quam idem Magister putat falsam. Insignis inconsequenta! tantò magis quòd Confessarius est Juxta, & non teneatur conformare se reo, & tamen licet rei opinionem judicet falsam, potest cum iudicio de falsitate ejus opinionis, sanctè operari, seu absolvi; non possit autem licitè Magister consultus suadere contentum, ut alios Doctores accedat, faventes opinioni, quam Magister putat falsam. Sane plus est, ut Confessario liceat absolvere juxta opinionem à se judicatam falsam, si poenitens judicet veram, quàm ut liceat Magistro judicanti aliquam opinionem falsam suadere contentum ut operetur, vel accedat ad Doctores judicantes eam veram. Omitto reliqua, nempe licere sequi minus probabilem æquè tutam, ut docet *qu. 37.* si ex probabiliori imminet maius malum; & unicè quæro, quomodo tunc prudenter assentiatur operans, & quomodo judicet directè verum, quod est minus probabile, & æquè proximum periculo peccati materialis? Si enim non sunt facienda mala, ut eveniant bona, quantò magis, ne eveniant maiora mala? malum autem est (juxta Palanco) sequi minus probabilem, quia se exponit periculo probabiliori non tantum falsitatis, sed æquè proximo (loquor in casu allato) peccati materialis, et si minoris, et si sequendo oppositam exponeret se periculo æquè pro-

ximo maioris peccati materialis, attamen periculo longè minus probabili.

## §. VIII.

Mens P. Thyrsi, & P. Mucicæ.

## S U M M A R I U M.

*Ait, quoties utraque est æquè probabilis, tutiorem semper sequendam; & dari præceptum universale in omni dubio sequendi semper tutius, n. 137.*

*Ait, si minus probabilis maneret probabilis, non tamen manet, liceret eam sequi, ibid.*

*Ait, nos teneri sequi, vel verum, vel verissimilius, ibid.*

*Ait, probabilitatem fundare ignorantiam probabilem excusantem a culpâ, ibid.*

*Ait, opinionem, non ut probabilem, sed ut veram, esse morum regulam, ibid.*

*Ait, talem debere esse probabilitatem minus tuta, ut tollat omne prudens dubium de malitiâ, ibid.*

*Immo debet esse certitudo moralis, ibid.*

*Ait, discipulos excusari in omnibus alijs à peccato erroris vincibilis sequendo sui Magistri doctrinam, si hæc non sit contra manifestum Scripturæ textum, vel contra id, quod publicè tenet Ecclesia, n. 138.*

*Ait, Deum esse contentum, ut in incertis sequamur probabilis, ibid.*

*Ait, Magistros peccare graviter, si non doceant vera, vel probabiliora, n. 139.*

*Ait, esse onus intolerabile sequi tutius, quoties minus tutum non est certum, ibid.*

*Ait, excusari ab ulteriori veritatis diligentia, quoties minus tuta est clarè probabilior, ibid.*

*Ait, plerisque Probabilistas non esse sibi contrarios, ibid.*

*Ait, licitum sequi probabilem, seu putatam veram à viris probis, & sapientibus, ibid.*

*Ad nihil plus diligentia obligat, ut quis sequatur probabiliorum, quam deobligantes ab hac, n. 140.*

*Ait, solam veritatem, non probabilitatem, esse rectam regulam, ibid.*

*Ait, se non obligare querere probabiliorum, sed tantum, ut quis eligat, quæ post sufficientem diligentiam menti occurrit, ibid.*

*Ait, Deum nemini dedisse privilegium, ut licitè sequatur opinionem certò probabilem, sed ei tantum, cui est probabilior, ibid.*

*Ait, repugnare, ut Deus vetuerit aliquid, & permiserit, ut ejus malitia maneret sub opinionibus, ibid.*

*Ait, quod opinio visa alicui verissimilior ob noxam à se inventam rationem, possit reflexè deponi, non autem visa verissimilior ob aliorum rationes, n. 141.*

*Ait,*

*Ait, posse opinionem esse absolute probabilem, etsi tutior proponatur ut certo vera, ibid.*

*Ait, non esse certum, quod aliqua opinio sit probabilis, nisi certus sum de sufficienti diligentia, &c. ibid.*

*Ait, posse nos sequi opinionem probabilem, quando in nobis non est opposita, ibid.*

*Ait, posse externe defendi opinionem probabilem, quam interne judico falsam, n. 142.*

*Ait, licitum sequi opinionem quamcumque probabilem, qua sit in me, ibid.*

*Ait, ut opinio dicatur probabilis, satis est, quod sit certo talis apud ejus Patronos, ibid.*

*Ait, non dari preceptum sequendi tutius minus probabile, sed tantum consilium; datur tamen sequendi tutiorem probabiliorem, ibid.*

*Ait, non posse haberi certitudinem de probabilitate, ibid.*

*Ait, quod judicium, ut sit prudens, non est necesse, ut sit logice verum, ibid.*

*In duobus tantum P. Munieſa discordat à P. D. Thyſo, n. 143.*

*Qua P. Thyſus affirmat, n. 144.*

*Plures SS. DD. operati erunt sine regulâ, num. 145.*

*Vix ullus honeste, ibid.*

*Judicium prudens erit, & non erit recta regula, ibid.*

*Videtur potius Tutorista, immò nec Tutorista, nec Probabiliorista, sed Probabilista, n. 146.*

*147.*

*Tacet nostrum principium, quod liceat sequi opinionem probabilem, seu putatam veram a viris probis, & doctis, ibid.*

*Tradens praxim eligendi opiniones ad nil plus obligat, immò ad minus, quam plerique Probabilista, ibid.*

*Contentus est, ut quis sequatur quamlibet probabilem, qua sit in mente operantis, nec obligat, ut comparet cum opposita, ibid.*

*Affirmat, quod Magister possit externe defendere sine notâ opinionem judicatam interne falsam ab eodem; & negat, posse sine peccato docere minus probabilem, n. 148.*

*Ait, id posse sine peccato praticari, quod potest sine peccato doceri, adeoque poterit Magister sine peccato execui minus probabilem, quia potest sine notâ, & peccato eam externe docere, ibid.*

*Vult, posse deponi dictamen mihi probabilius ex ratione à me inventâ; non ita ex inventâ ab alijs, ibid. & n. 149.*

*Affirmat, certitudinem probabilitatis esse valde difficilem; & tamen obligat ad evidenter probabiliorem, immò unicuique probabiliori dat certitudinem moralem, n. 150.*

*Negat opinionem certo probabilem esse posse regulam apud eam, qui eam potest rejicere ut*

*falsam; & concedit Confessario, quod opinio penitentis, qua à Confessario judicatur falsa, sit regula absolvendi, ibid.*

**D**ocet 1. *disf.* 7. §. 8. Quoties utraque est æquè probabilis, tutior semper est sequenda: & n. 57. in omni dubio tutius sequendum, & hoc esse præceptum universale pro omni dubio. Secundo docet *disf.* 10. n. 58. quod si intellectus potest physice averti minus probabili, potest voluntas sanctè imperare attentum. Tertio docet *disf.* 2. n. 23. minus verisimilem non manere absolute probabilem ei, qui oppositam putat verisimiliorem; si enim manet, inquit, certum est posse nos eam in praxi sequi. Quarto docet *disf.* 8. n. 11. nos non teneri semper docere doctrinas veras, sed tantum inquirere diligenter veritatem, & tradere vel doctrinam veram, vel verisimiliorem, quam ipse veram existimat, quamvis re ipsa sit falsa; idem tradit *disf.* 11. n. 27. & 28. Quinto docet *disf.* 8. n. 12. quod maior verosimilitudo, etsi falsa, & re ipsa contra legem, fundet ignorantiam probabilem excusantem à culpa. Sexto docet *disf.* 9. n. 4. quod nihil potest cognosci ut recta regula morum, nisi cognoscatur, ut conforme primæ regulæ; opinio autem hoc non habet, nisi quatenus vera, non quatenus probabilis; ergo non potest esse regula morum, nisi ut vera, non autem ut probabilis: & n. 13. *l. c.* ait, quod minus tuta non debet esse exigè probabilior, ut ejus usus licitus sit, sed debet præminere in probabilitate opinioni contrariæ, ut operans formet judicium fixum de honestate excludens omne prudens dubium malitiæ; immò n. 20. ait, quod judicium illud debet esse tale, ut generet moralem certitudinem honestatis.

Septimo docet *disf.* 9. n. 24. ex S. Thom. N. Quodlibet 3. art. 10. quærente, an discipuli sequentes diversas opiniones Magistrorum excusentur à peccato erroris? Cui respondet, quod qui assentitur opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ autoritatem, non potest ab erroris (intellige vincibilis) vitio excusari. Hæc S. Thom. Subdit P. Thyſus: Hæc ultima S. Thomæ causula satis arguit ipsum tenere, quod discipuli in alijs omnibus excusentur à peccato erroris. Et *l. c.* §. 4. ait Deum in incertis contentum esse, ut quis sequatur probabilius, & falsum probabilius satis esse ad conscientie securitatem.

Octavo docet *disf.* 10. judicium probabilius posse esse judicanti omnino verum. Et 139. *l. c.* §.

*P. Eliz.* l. c. §. 7. n. 41. addit ex P. Eliz. de Formâ veræ Religionis pag. 73. n. 117. omnes Magistros peccare graviter, si vera, aut veris magis similia non tractant, ut pridem, & ritè exprefserat Caiectanus. Idem est, si in quaerendo diligentiam non adhibeant, si incerta pro certis, si non examinata pro exploratis reddant. Cui doctrinæ assentitur P. Thyrsus n. 42. & 43. Nonò docet *disf.* 10. n. 47. esse onus intolerabile obligationem sequendi semper tutiorem, quoties minus tuta non est certa. Decimò docet *disf.* 11. n. 12. non dari obligationem quaerendi ulteriùs veritatem, quoties minus tuta apparet clarè probabilior. Undecimò docet *disf.* 12. pleròque Probabilitas tuentes licitum sequi opinionem minus probabilem minus tutam non esse sibi contrarios. Et *ibid.* n. 3. ait, quòd si quis sciat opinionem esse probabilem, id est, veram reputari à viris probis, & sapientibus post accuratum studium, licitum esse eam sequi.

*N.* Duodecimò docet *disf.* 14. n. 3. Non probabilitas, quæ est communis utrique parti, sed veritas, quæ est in unâ tantum parte contradictionis, assignatur ut recta regula operandi: & *ibid.* descendendo ad praxim eligendi opiniones, licèt obliget, ne sequamur minus tutam minus probabilem, sive homo sit doctus, sive idiota, attamen ad nihil plus diligentie obligat P. Thyrsus, ut quis licitè sequatur probabiliorem, quam obligemus nos, deobligantes à sequendâ probabiliori, ut legi potest *a. n.* 8. & n. 14. iterum dicit non probabilitatem, sed solam veritatem esse regulam operandi. Et n. 32. ait, se non obligare ad quaerendam opinionem re ipsâ probabiliorem, sed tantum ad eam eligendam, quæ factâ sufficienti diligentia in mentem venit. Et n. 119. ait, Deum non dedisse ulli tale privilegium, ut licitè sequatur opinionem certò probabilem, sed ijs tantum, qui eam putant probabiliorem. Et *ibid.* ait: Implicat, ut Deus lege suâ æternâ prohibuerit aliquem contractum ut usurarium, & permiserit, ut ejus malitia maneret sub opinionibus.

*N.* Decimotertiò docet *disf.* 4. n. 17. 18. quòd opinio visa alicui verosimiliter ob novam à se inventam rationem, possit reflexè deponi; non autem apparens verosimilior ob eas rationes, ob quas talis apparuit suis authoribus. Et n. 54. ait: Potest aliqua opinio esse absolute probabilis, quin sit prudenter hinc, & nunc eligibilis, ex. gr. quando tutior proponitur ut certò vera, vel evidenter verosimilior. Ecce supponit unam contradictionem esse posse absolute probabilem, quan-

do alia est certò vera. Et n. 55. hanc nostram minorem, sed hæc opinio est probabilis, dicit non esse certam, quia implicat, ut quis sit certus de probabilitate, quin sit certus se usum fuisse sufficienti diligentia in veritatis inquisitione, & quin sit certus ejus opinionis fundamenta sibi videri magna, non ex passione, sed omnino inculpabiliter; vel si in operando gubernatur à viro docto, nequit esse certus opinionem Theologi à se consulti, esse probabilem, quin sit certus virum illum probum, & doctum esse, non tantum in alijs, sed etiam in materia, de qua consultitur, & quòd in respondendo non fuerit obcecatus aliquo humano affectu.

Decimoquartò docet *disf.* 5. n. 24. posse N. nos juxta opinionem probabilem operari, 142. quando in nostrâ conscientia non existit subjective sententia opposita. Et n. 25. ait, quòd externè quidem bene potest aliquis defendere sine notâ sententiam probabilem, etsi internè judicet esse falsam. Decimoquintò docet *disf.* 6. n. 50. licitum sequi opinionem quamcumque probabilem, quæ sit subjective in meo intellectu. Et n. 45. ait: Ut dicatur aliqua opinio esse probabilis, sufficit, quòd illa sit certò probabilis apud alios Authores, qui eam approbarunt ut veram. Et n. 52. ait, non dari præceptum sequendi tutiorem minus probabilem, sed tantum consilium; datur tamen sequendi tutiorem probabiliorem. Decimosexto docet *disf.* 4. n. 87. non posse haberi certitudinem de probabilitate. Decimosseptimò docet *disf.* 10. n. 24. quòd judicium prudens non requirit veritatem Logicam, aliàs judicium solum casualiter elicit prudens, quoties non elicit certum.

Supersisset referre, quæ tradit P. Muncif. N. fa, sed otiosum est, cum in ferè omnibus P. 142. Thyrsò consentiat, nam vult 1. minus tutam tunc tantum esse licitam, cum est clarè probabilior opposita; ita *sim.* 6. Secundò vult certitudinem probabilitatis esse valdè difficilem; ita *sim.* 2. a n. 9. Tertio vult Confessarium ritè absolvere poenitentem sequendo ejus opinionem, etsi Confessarius eam judicet minus probabilem, & minus tutam; ita *sim.* 8. §. 9. a n. 106. Quarto descendendo ad particulares personas, nempe litteratos, & illitteratos, tradit regulam, quomodo conscientiam ritè probabilem formare possint; & nihil discedit à P. Thyrsò, immò à regulis Probabilistarum; ita *sim.* 6. §. 6. Quare in duobus tantum discedere videtur (quantum legere licuit) à P. Thyrsò; nempe quòd P. Thyrsus affirmet judicium prudens esse posse Logicè falsum; e contra P. Muncif.

Municia hoc negat, volens ad iudicium prudens requiri tum considerationem, tum veritatem Logicam; ita *sim. 6. §. 5.* rursus quod P. Thyri. neget intellectum physicè posse aslertur minus probabili; e contra P. Municia affirmat *sim. 6. §. 11. & 12.*

N.  
144.

Ut sine omni adulationis specie verum fatear, sentio neminem inter Anti-Probabilistas rem clarè digessisse, & coherentius locutum fuisse, ac P. Thyrium, & P. Municiam: adhuc tamen aliqua sele offerunt mihi dubia de aliqua incoherentia, & contradictione; immo, ut ita dicam, saltu, à Probabilioritas ad Tutoritas, ab his ad Veritas, & à dictis omnibus ad Probabilistas.

P. Thyri.

Primò enim fatetur P. Thyrius non dari præceptum sequendi semper tutiorem minus probabilem, sed tantum consilium; dari tamen præceptum sequendi tutiorem probabiliorem; ita *disp. 6. n. 52.* immò *disp. 7. n. 57.* fusè ostendit, dari etiam præceptum in omni dubio, seu quoties utraque pars est æquè probabilis, sequendi tutiorem. Fatetur 2. *disp. 9. n. 4. & disp. 14. n. 14. solam* veritatem esse regulam operandi, non autem probabilitatem; atque adeo opinio probabilis non est regula morum, ut probabilis, sed ut vera; & probabilitas, si maior sit, unicè facit, ut operans excusetur à culpâ. Fatetur 3. quod probabilioritas, ut minus tutalita sit, debeat esse tanta, ut pertingat ad certitudinem moralem; ita docet *disp. 9. n. 13.* & sæpe alibi. Fatetur 4. non requiri certitudinem probabilitatis, ut quis licet sequi possit probabiliorem minus tutam: immò *disp. 6. n. 50.* ait licitum sequi quamlibet opinionem probabilem, quæ sit subjectivè in meo intellectu. Fatetur 5. *disp. 12. num. 3.* quod si quis sciat opinionem esse probabilem, seu reputari veram à viris probis, & sapientibus, licitum eam sequi.

N.  
145.

In his tamen video non modicam incoherentiam, & falsitatem. Primò, si opinio, non ut probabilis, sed ut vera est regula morum, est potius Veritas, quam Tutoritas, aut Probabilioritas, atque adeo contra eum stabunt quæ dixi §. *priori*, immò totâ *disp. 5. & 6.* totidem enim ex Sanctæ Ecclesiæ Doctores sibi invicem contradicentibus, & opposita operantibus, totidem, inquam, sine ullâ rectâ rationis regulâ operati erunt, quia etsi quilibet probabiliorem sibi secutus sit, attamen in unâ tantum ex contradictorijs est veritas; ergo ad summum omnes sine peccato operati erunt, quia quilibet sibi probabiliorem secutus est; non omnes tamen, immò pauci cum rectâ rationis regulâ, seu honestè operati erunt, nempe

illi, qui veram ex duplici contradictoria utrinque suis Authoribus probabiliore secuti sunt. Adde me nò capere quomodo operatio sequens ad iudicium prudens non sit honesta; ergo cum juxta P. Thyrium *disp. 10. n. 24.* iudicium logicè falsum possit esse prudens operatio ad illud sequens poterit esse honesta; si enim iudicium prudens non est recta regula, ignoro, quanam sit. Ecce contradictio: Homo ille non operabitur cum rectâ regulâ, quia sola opinio vera est recta regula, homo ille operabitur cum rectâ regulâ, quia operabitur cum iudicio prudenti, quod est recta regula.

Secundò P. Thyrius videtur æquè, aut potius Tutoritas, quam Probabilioritas; ubi enim est æqualis in opinionibus probabilitas, dicit dari præceptum sequendi tutiorem; & ubi est æqualis securitas, quæro, an detur præceptum sequendi probabiliorem? Si affirmat, erit æquè Tutoritas, ac Probabilioritas. Si negat, erit magis Tutoritas, quam Probabilioritas. Adde quòd cum doceat non esse licitum sequi minus tutam, nisi sit moraliter certa, pauca autem opiniones tales sint; ex hoc etiam capite videtur potius Tutoritas. Tertiò videtur nec esse Tutoritam, nec Probabilioritam, sed Probabilistam; tum quia *disp. 12.* dicit per seque Probabilitas tuentes licitè sequi minus tutam minus probabilem, non esse sibi contrarios; tum quia *ibid. n. 3.* tuctur principium Probabilistarum, quòd licitum sit sequi opinionem probabilem, seu putatam veram à viris probis, & sapientibus; tum quia *disp. 14. n. 3.* tradens praxim eligendi opiniones, etsi obliget in genere, ne minus tutam minus probabilem sequamur, attamen ad minorem diligentiam obligat, quàm melior pars Probabilistarum, hæc enim obligat, nè sequamur minus tutam minus probabilem, nisi sit certò probabilis, quam certitudinem probabilitatis P. Thyrius tuetur non esse necessariam, immò contentus est, ut quis sequatur opinionem quancumque probabilem, quæ sit subjectivè in ejus intellectu; & neque obligat ad certitudinem probabilitatis, nec ad comparationem opinionis, quæ est subjectivè in intellectu cum opposita, ut tradit *disp. 6. n. 50.* tum quia *disp. 9. n. 24.* sequitur D. Thomam docentem, quòd discipuli in omnibus excusentur à peccato erroris vincibilis, sequentes diversas opiniones Magistrorum, si istæ non sint contra Scripturam, & Ecclesiam manifestè.

Tandem non video quomodo sequentia ab inconsequentia excusentur. Primò *disp. 9. n. 41. 42. 43.* docet Magistros graviter peccare,

care, si vera, aut verifimiliora non tradant; & tamen *ibid.* n. 24. excusatur à mortali discipulos, quamlibet inter diversas Magistrorum opiniones eligentes, quæ non sit clarè contra Scripturam; quasi verò maior sit obligatio Magistri in docendo, quàm discipuli in eligendo verum, aut verifimilium. Immo *diff.* 5. n. 25. concedit, quòd Magister possit externè defendere sine notà sententiam probabilem, etiam internè iudicet falsam; quomodo enim hoc possit sine peccato, si sine peccato minùs verifimile docere non potest? Vel quomodo teneatur ex præcepto docere verum, aut verifimilium, & non teneatur sub præcepto non defendere falsum, immò hoc possit licitè defendere? Secundo, quia d. 11. a. n. 20. tradere videtur hanc rationem, illud posse sine peccato praticari, quod potest sine peccato doceri; ergo si sine peccato, immò sine notà potest Magister defendere opinionem probabilem, quam putat interne falsam, ut ait *diff.* 5. n. 25. cur non etiam sine peccato praticare, si sit in materia morum? vel si hoc non potest, falsum erit ejus principium, quod possit sine peccato praticari, quod potest sine peccato doceri.

N. 149. Tertio, quia *diff.* 4. n. 17. & 18. ait, quòd opinio visa alicui verifimilior ob novam rationem à se inventam possit quidem reflexè deponi; non possit autem visa verifimilior ob rationes, ob quas alijs Doctoribus apparuit; & tamen *diff.* 11. n. 22. ait: Cum homines indocti (puto autem plures esse, & longè plures, si cum D. Thomà comparentur) vident D. Thomam, & cum eo plurimos, & gravissimos Doctores asserere contractum licere, cur non possint citra omnem culpam, ob eorum auctoritatem, & fundamenta innocenter judicare esse licitum, quòd illi licitum judicarunt? Ecce per hæc ultima verba concedit licitum mihi sequi D. Thomam reflexè; per ea autem negat, si concepti aliud dictamen; immò non video, cur non possim reflexè deponere licitè iudicium conceptum ob rationes, ob quas talis opinio visa fuit Authoribus, quos secutus sum, probabilior; possim autem reflexè deponere, si concepti ob rationem à me inventam; nam si illud non possum, nec hoc; & si hoc possum, & illud; immò si illud non possum, quomodo obligat obedientem, ut deponat iudicium, cum illud concepisse potuerit ob eas rationes, ob quas ea opinio fuit Authoribus visa est probabilior?

N. 150. Quarto fateor mihi summè difficile esse, quòd ut minùs tuta sit licita, debeat esse clarè, notoriè, evidenter probabilior, ut pas-

Tom. II.

sim docet; & quomodo simul doceat contra Reflexistas difficile valde esse iudicium certum probabilitatis, ut ait tota *diff.* 8. & *diff.* 10. n. 28. Sanè si cuilibet Probabilioristæ est evidens probabilioritas cujusque opinionis particularis, quam in praxi sequitur, quomodo adeò difficile statuit certitudinem probabilitatis contra Reflexistas? Rursus si P. Thyrsus, P. Muncifia, Palanco volunt probabilioritatem, quam necessariam putant ut minùs tuta sit licita, esse idem ac certitudinem moralem veritatis; quomodo erit adeò difficilis certitudo moralis probabilitatis? Quintò negat licitum sequi alienam, & affirmat licitum Confessario absolvere poenitentem juxta opinionem poenitenti veram, & Confessario falsam. Sextò negat in *Introduc.* n. 36. opinionem certò probabilem esse posse regulam apud eos, qui eam possunt rejicere ut falsam, & tamen concedit Confessario, qui rejicere potest ut falsam opinionem poenitentis, quòd possit juxta eam absolvere.

## S E C T I O IV.

*Distribuo quatuor in classes Doctores.*

## S U M M A R I U M.

*Si difficile est scire, quid constanter teneant Anti-Probabilistæ inter se, immò quilibet secum comparatus; longe magis erit, quid Antiqui rem obiter attingentes, n. 151.*

*DD. obligantes semper ad tutiorem, etsi non probabilem, n. 152.*

*Plures Antiqui videntur ita sensisse, & citantur eorum verba, ibid.*

*M. Baro ait: Nullam opinionem quamlibet probabilem censemus tutam, si falsa sit, ibid.*

*Videtur contra Decretum Alexand. VIII. ibid.*

*DD. obligantes semper ad tutiorem, dummodo probabilem, n. 153.*

*Antiquorum mens valde dubia. Inductio, ibid.*

*DD. tuentes omittere tutiorem minùs probabilem, & licitum sequi minùs tutam longe probabiliorem, n. 154.*

*Inter Tutioristas, qui obligant semper ad tutiorem, etsi non probabilem, dici possunt Rigidi; qui autem obligant semper ad tutiorem, dummodo probabilem, dicuntur absolute Tutioristæ Non-Rigidi, n. 155.*

*Licere sequi minùs tutam probabilissimam, est certum post Alex. VIII. ibid.*

*Probabilioristæ requirentes ad licitum usum minùs tuta tantam probabilioritatem, ut sit certitudo moralis, sunt potius Tutioristæ Catholici, quam Probabilioristæ, ibid.*

*Et sic impugnant, & propugnant Tutiorismum, ib.*

D

DD.